DE VINCULO QUO MORALIS CUM PHYSICA NECTITUR EDUCATIO…

Vittorio Bioni



DE VINCULO

QUO

MORALIS CUM PHYSICA NECTITUR

EDUCATIO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

ASSEQUENDAM

PUBLICE PROPONIT

VICTORIUS BIONI

DALMATA SIBENICENSIS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVI



VINCENTIO · GIADOROV

ALACRITATE · INGENII · ANIMI · SVAVITATE

IN · PRAXI · MEDICA

EXIMIO

HOC · PRIMVM · STVDIORVM · MEDICORVM

SPECIMEN

EXISTIMATIONIS · AC · OBSEQVII · ERGO

D · D · D ·

AVCTOR.

Notissima illa est similitudo, Professores amplissimi ac doctissimi, qua humanus organismus, in primis vitae momentis, tenellae comparatur plantae diversimode, per influxum externorum illorum, quibus circumdatur, agentium, modificandae. Ut pote enim in vegetationis primordiis per maxime aptam culturam herbarum ac arborum indoles summopere diversa redditur (adeo ut quae naturae nutui relictae spinas ac aculeos tantum edidissent, hominum aedulitate suaveolentes flores dulciaque mela valeant suppeditare); aequali prorsus ratione et homines in primis vitae stadiis mirum in modum, et physicam et moralem, educationis ope, permutatam exhibere possunt constitutionem, ut non immerito *Virey* asserit (1), ubi comparationem instituit inter *Newtonum*, atque rudem Africae habitatorem.

Quae cum ita sint, nemo inficiabitur, puto, quod

(1) Histoire naturelle du genre humain. *Bruxelles* 1824.

maximus influxus nostram in oeconomiam educationi sit tribuendus, cum pro virili parte diversitates ese quae inter varias nationes occurrunt, a diversa ipsius ratione derivandae videantur.

Haud itaque ab hodierna alienum duco circumstantia, si ad metam academicarum properans exercitationum, de tam maximi habendo argumento, de educatione scilicet, aliquid in medium proferre studuero, illum considerans concentum quem moralis cum physica habere debet infantulorum ac adolescentium institutio, ut et una, et altera ad unum pergant scopum, ad meliorem scilicet et somaticam, et psychicam hominis constitutionem reddendam.

Sed priusquam ad argumentum pertractandum accedam, monendum arbitror, me dissertatiunculae arctis limitibus addictum, generali tantum ratione, illa quae singillatim erant evolvenda, animadvertisse.

Educatio, utpote illam Maige-Delorme (1) considerat, complexus existimandus est omnium illarum regularum, quibus fit ut et organorum infantilium maxime promoveatur evolutio ad vires quibus espacia sunt acquirendas, et convenienter ipsorum actio ad perfectionem dirigatur facultatum intellectualium ac moralium.

Ex eo facili negotio percipi poterit, quod duplex esse debeat educationis scopus prout ab ipsa vel ea quae ad hominum colendorum vitam moralem spectant, considerantur, vel ea quae e contra ad

(1) Dictionnaire des Sciences Médicales. Voc. *Éducation*.

ipsorum vegetationem promovendam attinent, unde deducitur quod duplex sit educationis divisio: educatio scilicet *physica* ac *moralis*.

Quanta vero inter unam atque aliam educationis speciem intercedat relatio, nemo est qui non percipiat, quando tantummodo brevi intuitu consideraverit quanto inter se nexu physica et moralis hominum constitutiones colligentur, quantusque influxus sit quem organorum sensuum externorum functiones, facultates intellectuales, animi pathemata, ac diversi volitionis actus in vegetantem exerunt vitam, quemque ex adverso vegetans in moralem hominum vita manifestat.

Relatio haec (1) quae a medicina primordiis cognita erat, tantis undique patefit manifestationibus, ut illam ulterius confirmantes Cramben recoquere videremur; quamobrem nobis satis erit animadvertere, quod perturbatis vitae unius functionibus, serius ocius et alterius functiones pari-

---

(1) Scio quosdam adfirmare vitae vegetantis evolutionem in antagonismum cum evolutione functionum existere vitae animalis, idque exemplis ex scrophulosis et rachiticis infantibus desumptis confirmare consuevisse. Nos vero cum in sensibilitate ejusdemque effectibus nil aliud nisi resultatum organisationis videamus, nullo pacto percipere possumus, quomodo perfectiores esse queant in organo proprietates a structura derivandae, si structura ipsa imperfecta reperitur, quodque ratione concludimus, facto comprobamus animadvertentes, quod praecocia haec intellectualia miracula temporis progressu adeo e fastigio recedant illo ad quem pervenerant, ut imbecillitas ac hebetudo in ipsis virilitate adventante haud infrequens sit.

ter perturbantur, quodque quo magis vegetatio normaliter in organismo incedit, eo uberius ac perfectius et facultates evolvuntur intellectuales (1).

Ex praemissis statim cognosci poterit, quod una ab altera educatio, intellectu quidem, nulla vero ratione facto sejungi queat, utpote intellectualis ac animalis vita a vita reproductiva secerni nullo modo potest.

Videtur exinde quam absurde egerint illi qui praecepta institutionis moralis a praeceptis physicae institutionis seorsim posita consideravere.

Quamquam idcirco nos ipsi plane relationem intimam inter educationem physicam et moralem confiteamur, nil obstat ut argumenta unius vel alterius seorsim quousque fieri potest, considerentur. Et revera etiamsi ipse medicinae cultor hominum *mentem*, ut veteris poetae utamur verbis, *sanam in corpore sano* (2), servare studeat, vel a norma abludentem ad valetudinis statum reducere tentet, nihilo tamen secius proprio munere magis ad argumenta illa pertractanda defertur, quae cum physica infantium educatione propius nectuntur, ut pote altera ex parte ad ideologum magis illa pertinent quae ad eorumdem intellectualem et moralem spectant institutionem. Ex quo elucet quod minime nobis culpae sit tribuendum si de una tantum argumenti istius parte sermonem instituamus,

(1) Quoad hoc argumentum consulendum est opus egregium cui titulus *Rapports du physique, et du moral de l'homme par le Senateur Cabanis*. Paris 1825.

(2) Horat.

sique de illa reapse quae nobis minus convenit, pertractemus, dummodo ipsam ea arctissima in relatione consideremus, qua cum altera simul conjungitur.

Primum vero quod nobis solvendum se se offert quaesitum in eo situm esse arbitramur, ut constituamus quibusnam limitibus educatio moralis circumscribatur. Ex iis tamen quae hucusque protulimus non dubito fore plerosque quibus jam clare perceptum erit, quod posita quaestio, hodierno saltem medicinae in statu, haud solvenda videtur. Cum enim educatio moralis de moderandis functionibus iis pertractet quae ex sensibilitate procedunt, cumque sensibilitatis functiones tam arcte cum vegetationis functionibus conjungantur, ut pluribus in circumstantiis illas sejungere absurdum sit, fieri debet, ut minime termini statui queant, quibus educationis moralis officia contineantur. Nihilominus ad ordinem quemdam et in pertractatione materierum illarum quae ad ipsam spectant servandum, ad ipsiua penum pertinere arbitrabimur:

1.° Exercitium conveniens sensuum externorum.

2.° Aptam moderationem facultatum intellectualium.

3.° Rectum animi facultatum regimen.

4.° Convenientem inter somnum et vigiliam relationem.

5.° Tandem organorum volitionis nutui obedientium optimam exercitationem. De quibus omnibus, majori illa quae fieri poterit brevitate, aliquid in medium proferemus.

*

Sed et altera maximi pariter momenti se ae offert solvenda quaestio:

Quaenam, inter ceteras scilicet, melior erit moralis educatio?

Quicumque vero consideret, quod maxime perfectus ille dici mereatur homo qui cum majori, qua capax est, intellectualium ac moralium facultatum evolutione, et maxima eodem tempore donatur vegetantia vitae perfectione (1), statim intelliget, quod inter omnes melior moralis illa educatio sit existimanda quae eodem tempore quo vitae superioris functionibus maxime favet, pari passu et inferioris, reproductivae scilicet, convenienter promovet incrementum ac perfectionem; ita ut et physicae proprietates, et morales facultates harmonice ad altissimum illud, quod attingere possunt, extollantur fastigium.

Quando vero moralis educatio ita erit constituta, ut intellectus facultates vegetationis detrimento colantur, utque vita animalis ad perfectionem deducatur, quin physica vita aequo incedat gressu, omnibus pejor erit existimanda, nam non tantum ipsam individuorum existentiam in discrimen inducit, verum etiam plerumque quos nimis praecoces vel luxuriantes offert flores, maturos in fructus haud perducere valet. Quod quidem quotidie penes institutores accidere illos observamus, qui facultates infantium intellectuales evolvendi nimio studio illecti, physicam eorumdem postbahent sanitatem, ex quo fit ut infantes

(1) Cabanis.

ipsi infirmam, ac brevi tempore defuturam offerant vitam, vel ut intellectualium, si adoleverint, facultatum manifestationes minime cum spe praeconcepta conveniant. Non immerito ex eo videtur celeberrimum J. J. Rousseau adfirmare potuisse, quod doctus homo, qua infirmum ens, sit judicandus, quodque nimia intellectus cultura quasi a naturae legibus aberratio habenda sit.

Minime tamen ex eo cum philosopho ipso inferendum est, quod hominis naturalis status, sit status barbariei, quodque sanitatis noxius omnino evadat quisvis mentis ac animi cultus. Quin imo nos e contra adfirmabimus ac strenue defendemus, quod ad perfectam physici evolutionem ac conservationem, conveniens intellectualium atque moralium facultatum cultura necesse sit, arcto illo, de quo superius sermonem habuimus, commercio quod inter vitam animalem interest, ac vegetativam. Et re quidem vera quibusnam ignota momenta illa sunt quorum ope humanum genus proprio ingenio tutiorem contra actionem sexcentarum externarum nocentium potentiarum vitam reddidit? quibusnam emolumenta quaa in adversitatibus plurimis tam prope vitam minitantibus, sapienti praesto sunt, ad suam quouaque fieri potest, conditionem minus infensam reddendam? Ast quid plura? cum jam de hoc omnes plaue conveniant.

Nec aliunde credatur, utpote passim dictitant, quod veterum populorum omne studium in id impensum fuisset, ut educationem physicam tantum promoverent, posthabita institutione moreli.

Verum quidem id est si de maxime barbaris gentibus antiquioribus sermo sit, verumque pariter, utpote illustris quidam Hygienis animadvertit scriptor (1), quod physicae evolutionis cultus apud veteres homines magis ac nostris diebus fuerit promotus; ast quis unquam inficias ibit, quod pulcherrimis Persarum, Graecorum et Romanorum momentis eodem tempore quo somaticae perfectioni summopere consulebatur, et perfectioni intellectuali maxima haberetur ratio? Praeclarissima id testantur, pervetusta monumenta quae quoad philosophiam, historiam, poesim, bonasque artes ab ipsis immortalia prolata fuere, tum cum latissime per orbem dominationis fines diffuderant, quae et apud recentioris aevi genus qua miracula humani ingenii undique celebrantur.

Habita itaque moralis institutionis necessitate, nunc operae pretium erit argumenta illa singillatim perpendere quae ad ipsius referuntur penum, eorumdemque animadversionem instituere relate ad illum, quem cum physica educatione nexum servare debent. Superius retulimus, quod moralis educationis sit recte exercitium externorum sensuum dirigere. Quantus in vitam intellectualem influxus ipsorum sit, omnibus notum est qui cum veteri (2), philosopho consideraverint, quod: *Nil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu*.

Sensus itaque cujusvis externi exercitationem ita

(1) Roslan, Dictionnaire des Sciences Médicales, art. *Gymnastique*.

(2) Aristoteles.

moderari oportet, ut nec exuberans sit, nec deficiens, nec a norma quavis abludens ratione. Id quidem obtinetur, si debite cuncta in exercitium ponantur, ita tamen ut unius functio prae alterius functione haud praevaleat, nam tunc fieret ut id quod unum acutiei acquireret, aliud necessario amittere deberet.

Convenienti vero tali sensuum exercitatione haud tantum consequitur ut physiologico in statu eorumdem conservetur functio, verum etiam ut ipsorum promoveatur nutritio; nam notum jam in medicina est quod cum organon aliquod per temporis quoddam spatium in quiete detineatur, id perturbatam non tantum offerat functionem cui devolutum est, sed e norma pariter abludentem offerat vegetationem (1).

Est moralis maxime erit educationis illud inter externa sensoria praeprimis colere, quod vel ex generatione, vel ex eventuali quadam, infantia perdurante, oborta circumstantia infirmum ac debile evaserit. Haud enim infrequenter curis per diuturnum tempus adhibitis fit ut et id perfectionem illam acquirere valeat, qua antea carebat, utpote in myopia, ex presbyopia laborantibus oculis accidere cernimus, quando semet sedulo in observatione magis convenientium objectorum exercuerint (2).

(1) In oculis praeprimis id animadvertitur, quorum si unus minime in exercitio debito detineatur, ipse processu temporis vel mediorum quibus constituitur offert opacitatem, vel saltem valde imminutum volumen praesentat.

(2) Praeceptum quod myopes observationi objectorum e

778

Sed intellectualium facultatum exercitatio ab illis qui in morelem infantium ac adolescentium educationem incumbunt, praeprimis animadverti debet, ita ut ipsa convenienter directa perfectionem illam adipiscantur intellectuales ipsorum vires, qua capacea sunt. Convenienter itaque intallactua facultates coluntur si semper educatori defixum haereat menti principium id quod sua in Hygiene recte observat Roatan (1), quod scilicet ipsae relativam expostulent culturam, non tantum quoad aetatem atque sexum, verum et quoad temperamentum, et quoad corporis habitum, at quoad propensionem quam infantes omnes pro uno vel alio intellectualium occupationum genere a teneris declarant annis.

Quibus statutis basibus haud nobis difficile erit percipere quod nulla generalis regula institui potest relate ad temporis quantitatem, qua perdurente, infantes ac adolescentes studio, quieti, ludo ac somno se dare debent. Regula enim illa quae puero temperamento sanguineo donato, habitu corporis robusto praedito conveniret, haud idonea in puella gracili delicatula nervosi temperamenti reperiretur, nec ipsa certe, nisi vitae universali dis-

---

longinquo sitorem utpote in venatione fit, ac presbyopes objectorum parvorum maxime oculis appropinquandorum se se dent, ut visionis corrigant imperfectionem, ab omnibus ophthalmologiae scriptoribus traditur. Vide *Lawrance*, *Beer*, *Fabini* ec.

(1) In Scientiarum Medicarum Dictionario sub voce *Enfant*.

crimine, illos mentis labores suscipere posset, quos impune primus toleraret. Ac pariter erit observandum quod juxta studiorum diversorum discrepantiam per longius vel brevius tempus, absque ulla sanitatis noxa, infantes ipsis operam dare valent, dum quaedam adsunt quae ocius vires fatigant, quam alia, et viceversa. In genere tamen dici jure merito potest quod inter intellectuales occupationes quae maxime encephali ac exinde corporis universi energiam labefactant, illae sunt quae invito, vel aegre ab infantibus suscipiuntur ac perferuntur, utpote evenire passim observamus de infimis linguarum rudimentis quae primis vitae temporibus traduntur tanto cum puerorum fastidio, tantoque saepe cum universalis eorumdem sanitatis detrimento. Ad bonae educationis scopum obtinendum necesse esset semper, ut quidam illustris animadvertit medicus (1), ut libenter infantes ad intellectus exercitium accederent, occupationum allici amoenitate, vel rerum utilium illa discendarum curiositate, qua ad nova inquirenda tenerae ipsorum mentes continuo impelluntur.

Cum autem in infantibus a primis vitae momentis propensio peculiaris, dummodo attente perscrutentur, ad unum alterumve studiorum genus animadvertatur (quod quidem ex primitiva cerebri evolutione, post Gall physiologi repetunt

(1) Friedlander, De l'Éducation physique de l'Homme. *Paris* 1815.

plures, quodque hereditarie a parentibus ad natos transmitti non immerito suspicantur), omni sedulitate genus id inquirendum erit, nam plerumque cum illae cerebrales bene colantur facultates, quae majorem ad culturam proferunt susceptibilitatem, optimos progressu temporis offerunt fructus, quos sibi relictae imperfectos saltem vel nullos edidissent. *Non omnia possumus omnes*, veterum fuit sententia, exindeque argute protulit Bichat, quod ars semet quadam in scientiarum provincia celebriorem reddendi in eo consistit, ut ceterae posthabeantur.

Quod tamen ab institutoribus in morali hominis educatione summopere curandum occurrit, in recto consistit ordine, quo singulae intellectuales facultates, prout semet gradatim evolvunt, colendae sunt. Cum enim in primis vitae momentis percipiendorum externorum agentium facultas intellectualis vitae munera omnia in infantulo quodammodo absorbeat, in eo omni studio ac opere erit nitendum, ut rerum externarum impressiones procedentes ex istis, ac sensationes perfectae evadant, eodem tempore quo impressionum impetus caute moderandus erit, ne vel nimius sensoria irritet externa ac encephali exercitium perturbet, vel minimus nullam exerat nec in sensoriis, nec in cerebro mutationem, ita ut ab infantulo ipso impressiones eaedem minime persentiantur. Quo quidem in negotio haud intellectuali ipsius vitae, ast et somaticae consulemus, nam pari passu cum encephali incolumitate, et universi corporis incedit sanitas, nec illo per-

turbato hoc certe normali in statu perdurare potest.

Tres vero superiores intellectuales facultates, ita plerumque in infantibus ac pueris evolvi solent, ut memoria appareat jam ex vitae principus, hanc exinde sequatur ac comitetur imaginandi facultas, ac postremo judicium manifestetur, atque imaginationis limites coerceat, ipsi plerumque abstrahendi susceptibilitatem, syntheseos ac analyseos facultatem substituens.

Huic vero successionis ordini in facultatum intellectualium manifestatione attente studeant institutores necesse est, ut illas infantibus proponant occupationes, quae cum ipsorum encephalicis conveniunt facultatibus, quaeque diverse aliunde evadere debent, prout una vel altera ex facultatibus ipsis manifestatur, evolvitur, ac ad maximum fastigium extollitur. Exinde fiet, ut primitus ad memoriam colendam eisdem offerre debeant magnam existentium positivorum objectorum messem, illorum plerumque, quae cum infantili vita maximam offerunt relationem, quaeque in posterum ipsis aliquod afferre valebunt emolumentum. Haud equidem ignoro quod haec proferens adversari plurimorum videar sententiae, meae tamen succurrat opinioni illustris cujusdam medici auctoritas (1), qui haec adfirmabat: *Siccome ogni cosa deve tendere in ultima analisi a produrre il ragionamento, e siccome natura abbisogna per giungere*

(1) Rostan, Dizionario classico di medicina interna ed esterna, art. Bambino.

P82

a tale scopo di accumulare molti fatti, perciò svilupò essa mirabilmente la memoria nei fanciulli. Siffatta osservazione non isfuggì a niuno, ma ecco la singolare consegaenza che se ne trasse: si pretese doversi sopraccaricare la testa di questi poveri sventurati di greco, di latino, di voci barbare, di matematiche, e di cento altre cose per loro inintelligibili, mentre pure era cosa assai più semplice il far loro ritenere soltanto i fatti avverati, positivi, unica base della solida istruzione, unica causa della differenza esistente fra l' uomo superiore e l' uomo mediocre . . . .

Imaginatio postea quae pubertate adveniente excitatur, ita erit dirigenda, ut minime ipsi imperium omne prae aliis intellectus facultatibus concedatur, ast ut et evolutionem judicandi concedat facultati, nam aliunde ad vana phantasmata, ec ad monstruosa figmenta efformanda tantum deferreretur. Quin imo cum primum hominis munus in eo consistat, ut ad utilitatem societatis ingenium convertat suum, exsurgentis imaginationis impetus plerumque compescendus evadit, nisi pulcriora futurorum fructuum germina offerat.

Judicandi tandem ipsa facultas ad eum semper deducatur finem, ut ad maximam extollatur perfectionem, cum ipsa homines vitae curriculo perdurante quavis in conditione summopere indigeant.

Quando huicce intellectualis evolutionis ordini educatio moralis attente consulat, dummodo quantitas studiorum juxta physicam diversam individualitatem pensitetur, plerumque illum quem sibi

proponet scopum attingere valebit, perfectionem scilicet mirum in modum encephalicarum promovebit functionum, eodem tempore quo et organicarum actionum liberius concedetur exercitium.

Ast si infantilem rite dirigere mentem summopere interest, ut moralis institutio aequo passu cum organica procedat evolutione, non minus moderationi animi tenera aetate facile recto a tramite abludentis danda opera est, nam in organicam vitam animi pathematum ac cupidinum imperium maximi faciendum evadit. Animi vero motus omnes, qui juxta philosophos tandem ad *amorem* atque *odium* quasi ad duos primarios fontes (1) reducuntur, ita multiplices sunt atque tam varias subire possunt modificationes juxta organicam potissimum individuorum constitutionem, ut de singulis agere tentantes haud exiguum opus elucubrare deberemus. Priusquam tamen de eorumdem moderamine aliquid dicamus animadvertere haud supervacaneum ducimus, quod cupidines ac animi motus in infantibus ac pueris pro maxima parte leves tantum ponant impressiones, facili negotio delendas nisi iterum iterumque vehementius excitentur, atque excitata nulla ratione compescantur. Cum vero, utpote physiologi luculenter demonstrare conati sunt (2), eae animi adfectiones ex organica pendeant structura, atque cum ipsa omnino cohaereant, haud difficile nobis erit intelligere, quod plures ex ipsis haud in infantibus existere poterunt, quia nondum or-

(1) Condillac. (2) Darwin.

gana illa evolutionem adepta fuerint, quorum influxu oriuntur atque sustinentur.

Caute itaque in animi motuum atque pathematum moderamine ab educatoribus erit incedendum, ne scopo adversantes id in infantibus excitent, quod totis viribus vitare deberent. Cujus quidem rei ut passim sub oculis occurrens afferamus exemplum; quot sunt qui ad depellendum ex pueris timorem adeo irrationaliter agunt, ut illum haud prius existentem potius excitare valeant, talique pacto homini incommodum comparent, per omnem vitam haud raro duraturum, etsi ingenio summopere perspicaci donato, utpote de ipso Lokio evenisse legimus, qui quamquam qua philosophiae portentum salutetur, jam homo in obscuritate umbras ac spectra timebat!

In genere adfirmari potest quod ad sanitatem conservandam animi motus potius quam concitandi, compescendi sint, cum pacatos ac mites homines facilius physiologico in statu vitam ducere videamus, quam ii qui continuis vexantibus curis, atque inordinatis cupidinibus exagitantur. Lex tamen haec, quam generalem ponimus haud paucis subjacet exceptionibus tum relate ad animi motionum diversitatem, tum maxime relate ad diversam in infantili ac puerili aetate animadvertendam physicam constitutionem, ita ut contraria omnino ratione sit agendum in infante maximo vitae robore, temperamento sanguineo, mira irritabilitate praedito, ac torpida in puella, lymphatico temperamento, ac laxo corporis habitu donata. Pro vero pathematum diversitate cuinam

haud erit perspicuum quod illa quae, quin corpoream turbent sanitatem, ad rectum moralem tendant scopum datos intra limites convenienter erunt sustentanda, quodque contraria evadent, omni diligentia, compescenda. Certe *amor*, *gaudium* ac *pudor* convenienter directo puerorum continuo cedent utilitati et physicae et morali, nam praecipue duo prima pathemata cum animum incitare valeant influxum nervosum uberiorem universa in systemata, universos in adparatus oeconomiae reddunt, ita ut functiones omnes ipsis inditae et facilius et perfectius perficiantur.

Ira e contra, *odium*, *taedium*, *timor*, *tristitia* ceteraeque hujuscemodi animi pestes, paucis tantum exceptis casibus a pueris omni studio arcendae, cum semper in damnum grassentur et moralis characteris, et organicae constitutionis. Quibus enim ignotum est quod si sensim sensimque ipsis adsuefiat animus, vitam qua onus ac poenam considerat, ipsamque aversatur, ita ut haud infrequenter infelices ii, qui nimis talibus indulgent motibus juventute accedente, violentas in semet manus imponant, ac immaturo occidant letho? Sed quin hoc accidat, credemus ne vegetationem recte incedere posse, et vitam normaliter peragi hisce in individuis in quibus encephalicae adeo perturbatae deprehenduntur functiones, adeoque infensus nervosi in cetera systemata influxus repetitur? Tristitia in omnem oeconomiam ex ira inducta, phaenomena quibus ingens frequenter informatum ager exsurgit, quibusque ipsa vita suffllaminatur, nos plane docent, nullo pacto vi-

vidis animum exagitantibus pathematibus sanita tem incolumem perdurare posse.

At qui moralem molitur hominis educationem convenientem, relate ad somnum atque ad vigiliam rationem habere debet. Praecepta quoad hoc institutionis argumentum tradere tentantes in easdem incidimus difficultates de quibus insuper sermonem fecimus. Somnus itaque, ut generatim loquamur, ita erit in infantibus dirigendus, ut et aetati, et constitutioni, et exercitationi physicae et morali recte respondeat. Semper inter vigiliae atque somni horas indita a natura lex sequenda erit in pueris, ne noctu vigilent, die perdurante obdormiant, nam diurnus somnus, utpote pathologi observant, et minus quietus est, et minus restaurans. Quidquid tamen maxime in educatione relate ad somnum et vigiliam animadvertendum est, in eo consistit, ut debita membris tantum quies concedatur, utque protracta exuberans pueris probibeatur requies, nam ipsius abusu, et physica et moralis praepeditur perfectio, tum eo quod deficientes evadant ex agentibus exterioribus impressiones, tum eo quod organa convenienti carent illa exercitatione, quae in primis vitae momentis ad oeconomiae incrementum maxime evadit necessaria.

Superest tandem ut aliquid et de organorum volitionis nutui obedientium regimine, relate ad illum quem in vegetationem exercent influxum, proferamus. Nostram potissimum inter ipsa sibi animadversionem vindicant locomotionis adparatus ac organa vocis.

Prima enim convenienter exercitata non tantum quibusdam relationis perficiendis functionibus inserviunt, verum etiam vegetativae vitae mirum in modum perfectionem promovent; utpote et altera haud solum nos cum similibus nostris in commercium ponunt, ast et evolutioni ac robori organorum pulmonalium favent.

Quae cum ita sint, necessario consequitur, ut ad bonam moralem institutionem symbolam suam aptam organorum exercitatio contribuat, quae potius quam compescenda, promovenda omni erit ex parte, dummodo puerorum non cedat damno. Ast quomodo id cognoscere possumus? Ex desiderio quo ipsi ad motum atque ad loquelam impelluntur; nam videmus quod instinctiva quadam ratione ad quietem atque ad silentium quodammodo deducantur, quando organa longa defatigatione laxantur.

Reliquum modo est ut et de gymnasticis exercitiis aliquid diceremus; sed cum ipsa magnam cum physica educatione servent relationem, iis evolvendum consulto argumentum hoc relinquimus, qui de hac Hygienis parte ex professo pertractant.

THESES

1. Necessitas medicinam invenit, experientia perfecit.
2. Duo sunt praecipui medicinae cardines, ratio et observatio.
3. Cholera morbus, contagiosus morbus.
4. Inter amauroseos species illa tantum sanatur, quae ex congestione pendet.
5. In calculis vesicae sola cystotomia perfecte sanat.
6. Ad statuendam diagnosim morborum cordis et pulmonum stethoscopia mirifice juvat.
7. Ad statuendam veram graviditatem tum et quando sola stethoscopia sufficit.
8. Aqua cohobata lauro-cerasi optimo cum effectu in phthisi pulmonum administratur.
9. Vulnera ante mortem nunquam absolute ac necessario judicantur lethalia.
10. Consuetudo obtundit sensum perficitque judicium.
11. Nulla datur in organismo solidorum perturbatio, quin fluida perturbentur, et vice versa.
12. Exercitium determinat organorum evolutionem; hinc et cerebri organica evolutio major per facultatum intellectualium usum evadit.

